QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVI. IANVARII,

M. FLORIMONDO LANGLOIS Doctore Medico, Præside.

An Epilepsiæ, & Melancholiæ Hæmorrhoïdes salutares? 877.

HOMINEM præ cæteris animantibus ita in delitiis habuisse creditur natura, vt hujus causâ cuncta alia genuerit: verum magnâ & tam sævâ mercede contra tanta sua munera, vt non sit facile æstimare parens ipsi melior, an sævior noverca fuerit. Vt enim ob corporis raritatem, cutísq; mollitudinem quæ ei soli concessa est, ambientium & offusorum sibi vndiquaq; corporum insidiis maximè appetitur, sic intestinis dissidiis sæpius discerpitur ob spirituum, humorum, partiumque exquisitissimam illam temperiem quâ est insignitus, quæ vel leviusculâ de causa ab optimo mediocritatis statu decedit. Imò, quod iniquissime videtur comparatum, quô pars quæque præstantior eô in morbos eosque gravissimos propensior. Ecce, homini ad sapientiæ munia nato, cerebrum amplissimum, vt tanto magis cæteris partibus dignitate antecellat quanto excelsius est, eaque de causâ pluribus vehementissimis affectibus tentetur. Nec mirum; cum enim pars ea ἀκρόπολις ψυχῆς ἡ κολλώδεος frigidissima esse debuerit, quò spirituum vitalium fervorem temperaret, ingenti sua mole vberrimum procreat pituitosi & serosi excrementi proventum: quod nisi per institutos à natura ductus effundatur, in cerebro redundans ejus vasa, sinus, ventriculos, substantiamque omnem dum alluit, suo madore & acrimonia mentis obtundit aciem, sensus motusque segnes reddit & torpidos, omnesque labefactat animales functiones; quas integras tuentur concinna & elegans capitis figura, legitima cerebri tẽperies & substantiæ tenuitas, spirituum animalium splendor, facultatum ἰσοσθένεια & meatuum, quibus superfluitatũ colluvies excluditur, εὔροια.

QVÆ in angustioribus cerebri flexibus ab humoribus eò coercitis excitantur obstructiones, vt affectus accersunt diuturnos & rarò exitiales, ita qui in amplioribus sinubus fiunt infarctus, morbos proferunt acutos atq; calamitosos, maximè si ventriculum medium, aut postremum cæterorum nobilissimum occupauerint: quorũ alterutrum si cujusvis humoris crassi copia ita occluserit, vt spiritui animali exitum omnẽ intercludat, subita fit motus sensus omniumque actionum animalium privatio, ægerque velut de cœlo tactus momento ἀπόπληκτος corruit. Verum si ea non adsit humoris copia vel crassities, quæ affatim penitusque ductus obturet, sed spiritus nonnihil præterlabatur; cerebrum pro ea quâ pollet vi, contrahendo sese, nervorumq; propagines concutiendo, conatur eum humorem ejicere funditûs qui ipsi molestus est, eâque ratione gignitur Epilepsia, quæ totius corporis distentio crebra est certis intervallis repetens, cum sensuum & mentis oblæsione: quâ quidem correpti velut caligine offusâ, venis tumentibus, linguâ exertâ, oscitantes, tremuli, ecstatici, voce & mente capti collabuntur, corpusque & artus variis motibus jactando lumina torquent, dentes collidunt, manus contrahunt, pedibus calcitrant, spumamque ore effundunt, gravis & ancipitis conflictus indicem, in quo qui venam tundit, non minùs peccat quàm si manus inferret ægrotanti.

VT est omne viventis corpus συμπαθὲς, ξύῤῥουν καὶ ξύμπνουν nullaque fermè pars, quæ non alterius consentiat calamitati, cerebrum præsertim in editissimo loco positum partium pene omnium subjectarum labem & vitia facile suscipit, neque vlla est adeò disjuncta & ignobilis particula, quæ principi illi membro humoris aut vaporis cujusdam tetri propagatione vim non aliquando inferat. Nonnunquam ab extremis manuum pedumve digitis, aliàs à carioso vlcere, quandoque à liene, sæpius ab vtero, sæpissime à ventriculo, quo cum magna jungitur affinitate, maligna quædam aura & infensa qualitas per cæcos ductus in cerebrum commigrat; quæ dum membranas divellit, eâ quidem feriente, cerebro vero acerrimè obnitente, mutua quasi colluctatione fit concussio totius corporis typica, per consensum, tandiù perseverans donec inimica illa & totius cerebri substantiæ infensa qualitas penitus excussa fuerit; sicut ea quæ ex pituitosi aut melancholici humoris infarctu primariò in cerebro excitatur, non antè intermittit, quàm materia illa copiâ & qualitate gravis aliô fuerit amandata. Et quidem si pituitosus humor à ventriculis in substantiam cerebri diffluat Epileptici evadent amentes & stupidi; at si melancholicus humor à corpore in mentem irrepens cerebri & spirituum temperiem optimam in frigidam & siccam immutet Epilepsia desciscet in Melancholiam.

MELANCHOLIA ἡρωϊκὸν πάθος clarissimis viris familiaris est, nescio quo fato animi firmitatem & constantiam quæ in temperamento melancholico summa est, corporis incommodis naturâ pensante, adeo numquam syncera bonorum sors vlli concessa viro. Mentis est alienatio febris expers, in quam qui incidunt, cogitant, vel loquuntur, vel præstant absurda, longè à ratione & judicio aliena, eaque cum metu, tristitia, & anxietate; quam consequuntur mores efferi & inhumani, pertinacia, lucis & consuetudinis hominũ fuga, animique contractio & demissio quasi præstitutâ die recurrens, cumulato sensim melancholico humore vel vapore, qui ater & lutulentus in cerebrum obrepens, spiritusque animales inficiens, affectum illum infert: cuius fomes interdùm in capite solo primariòque consistit, interdùm in corpore vniverso continetur, vt plurimùm in liene vicinisque partibus sinistro hypochondrio subjectis; à quibus virulenta & tetra expiratio in capitis arcem elata, mentem obscurat eique caliginem offundit. Hic vapor si spirandi organa premat, ægri se ab aliquo incubante dæmone noctu suffocari falsò existimant, cum hujus cæterorumque penè omnium morborum causæ non sint extrinsecus arcessendæ, sed intùs in corpore lateant, quas vulgus novitate perculsum aliundè repetit magno dedecore artis Medicæ: quæ melancholicorum quoque divinationes, novas & invsitatas voces, dirosque & sævos artuum flexus, qui nonnunquam rudioribus imponunt, ad humoris illius vaporosi impetum, & insolentem quandam cerebro impressam diathesim ingeniosè revocat.

MORBIS naturisque melancholicis idem afferunt commodum oscula vasorum sanguinem exano fundentia (Hæmorrhoïdas vocant) quod menstrua purgatio in mulieribus. Cave ergo ne tam salutare profluvium excretum nuncupes toto genere præter naturam, quo à partibus principibus ad ignobiles transmisso humore crasso & terrestri corpus omne perbellè repurgatur fœdâ eluvie quæ ipsius incolumitati multùm adversatur, dum sanguinem vniversum spiritusque suâ contagione afficit & inficit, meatusque ac ductus omnes occludens morborum gravissimorum parens est, quos quidem hidroticis, salvatellæ sectione aliisq; eiusmodi parũ accommodatis auxiliis frustrà oppugnari non est mirum, cum vbi semel invaluerint, validiorum quoque remediorũ vires aspernentur, evadantque insanabiles, nisi naturæ operâ humor infensissimus & pertinacissimus per infimas partes exigatur, incredibili ægrotantium solatio, qui hâc arte non tantùm à vitiligine, elephantiasi, morbo magno, maniâ (à qua etiam varices apertæ vindicant) quartanâ, aliisque melancholicis affectibus liberantur; sed & peripneumoniam, pleuritidem, articulorum & renum cruciatus effugiunt, cæteraque id genus pericula, quæ humoris biliosi vel serosi orgasmus intentat: quippe cum non modò fœculentus & limosus, sed tenuis & acer, & nullo quandoque vitio inquinatus sanguis solâque copiâ molestus per hæmorrhoïdas internas aut externas exturbetur summo naturæ impetu. Quamquam verò earum moderata vacuatio toti corpori salutaris est, maximè tamen cerebrum ex ea singularem fructum percipit: quod humor crassus atq; noxius, qui in ipsum ferebatur, ab eo longè avocetur: qui si intempestivè supprimatur atque in intima recurrat, hydropem, phtisim, furorem, aliasque plurimas calamitates accersit.

Ergo Epilepsiæ, & Melancholiæ Hæmorrhoïdes salutares.



Proponebat Lutetiæ EVSEBIVS RENAVDOT Iuliodunensis. A. R. S. H. M. DC. XL.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Florimondus Langlois, Præses.
M. Claudius le Vasseur.
M. Dionysius Ioncquet.
M. Iacobus Gauois.
M. Michael Marés.
M. Claudius Breget.
M. Mauritius de Monstrœil.
M. Claudius de Pois.
M. Petrus le Comte.